

phoris facunda. Biferas, & triferas vites memorant Auctores, Arist. Theoph. Pl. & alii. Ad hæc Strabo l. 2. 11. 15. & 17. scribit caudicem vitis tantæ esse amplitudinis in Margiana, ut bini homines junctis nequeant ulnis amplecti. Plin. addit, Jovis simulacrum in urbe Populonia ex una vite conspici tot ævis incorruptum. Imò & vitigineas columnas in templo Junonis, & scalas ad Dianæ tectum scandendum. Quantæ magnitudinis, quantæque fecunditatis vitis illa, cujus botrum cum palmitre suo ex promissa terra humeris detulerunt duo robusti exploratores? Vide Num. 13. & Pl. 127. 3. ubi David significare volens bonæ uxoris fecunditatem, cecinit: Uxor tua sicut vitis abundans, seu, ut multi legunt, sicut vitis facunda, fructifera. His adde quod multi tradunt apud Pierium l. 53. vitam Astiagi per quietem nocturnam vitem de Mandane gnata sua oboriri, universamque Asiam palmitibus inumbrare: quod de Cyro nepote ejus eventu adeo felici postmodum comprobatum est: quippe terrarum latitudinem id significabat, quæ Cyri esset imperio subjuganda, tantique Regis incrementa maxima, & imperii dilatationem.

Plal. 127. 3.

Vites arboribus maritima. Plini.

2028 Rogabis primò, cur Siracides terebintho adjunxit vitem? Planè reor, pulcherrimam esse hanc adsocietatem, & mysterio plenam. Nam quis ignoret, vites arboribus ipsis maritari solere? Plin. l. 14. c. 1. In Campano agro populis nubunt, maritæque complexæ, atque per ramos earum procacibus brachiis genitæ, toto cursu scandentes cacumina æquant in tantum sublimes, ut vindemiator auctoratus rogum ac tumulum excipiat. Id est, dum ad putandum vineam conducitur, paciscitur, si fortè casu pereat, rogum aut sepulchrum sibi fieri impendio auctorantis. Notat etiam l. 17. c. 23. ad vitis maritimationem hac ratione arbores eligi debere, ut prima omnium ulmus sit. Quid ergo mirum, si dicamus, à nostro Siracide vitem terebintho maritari? Præsertim cum arbor sit proceritate & opacitate spectatissima, & juxta Hebræorum placitum ulmus; sic enim Hebræam vocem elab & Chaldaicam bathma interpretantur ipsi, ulmus. Adde ex Plin. lib. 13. c. 6. Terebinthus cum vite maturefcit.

Vitis flores sunt fructus. Cant. 2. 12.

2029 Rogabis secundò, quid est quod Siracides viti tribuat & flores & suavitatem odoris? Vitese nò odorem aspirant floresque parturiunt. Putat nosfer Sanctius in c. 1. Cant. v. 6. & ad c. 2. v. 12. & ad c. 7. v. 12. non admodum florere, neque odorem emittere adeò gratum, ut possit de solis illis affirmari, quòd floreat, quòd odorem aspirent. Unde existimat quando c. 2. 12. dicitur, Vineæ florentes dederunt odorem suum, non esse sermonem de vitibus, sed de Cypriis, aliisque aromatiferis arboribus, ex quibus consistat vinea; ejusmodi enim arbores & odore, & flore præstant. Sed certè, non video quomodo hæc à Sanctio dicta illis Canticorum locis non repugnent, & nostro præsertim Ecclesiastico, qui suavitatem odoris, odoris optimi fragrantiam, odoram gratiam, odorem fragrantem vitibus attribuit; nec non flores, qui fructus parturiant uberimos. Atqui ex Auctorebus prophanis Ovidius 5. Fasto. & Horat. Epod. 16. Flores viti concedunt. Martialis verò l. 3. Epig. 23. dat illi odorem gratissimum; nam cum labia cujusdam bene olentia cecinisset, ait id olere vinea quòd primis floret cum cana racemis, & Plin.

Martia.

lib. 12. cap. 27. vitibus odorem dat. Et forsitan terræ promissionis vites, uti magnitudine & fructibus præstantissimæ, ita etiam odore, & flore.

Rogabis tertio; qua ratione vitigineos flores dicat Siracides esse fructus? Dixissem in litteræ cortice perfando, non alia de causa, nisi quia vitium flores sunt planè ipsarum fructus, uva scilicet pusilla; ipsa quippe uvarum generatio florere est. Unde Cant. 2. 12. Vineæ florentes dederunt odorem suum. Hebr. pro florentes est semarad, quod significat uvam tenerimam, ita ut sit etiam idem, quod vinea germinantes.

2030 Denique cum audio, à Siracide illam suam vitem maximè commendari ab opulentia, & divitiis: Et flores mei fructus honoris, & opulentiae, seu divitiarum, videtur illi præ oculis habuisse prædivitem illam vitem, cujus meminit Joseph. Flav. l. 6. de Bello c. 6. Interior verò porta (Templi Jerosolymitani) tota inaurata erat, & circum eam auratus paries; desuper autem habebat aureos pampinos, unde racemi statura hominis pendebant. Et l. 15. Antiq. c. 14. Janua verò penè ipsi templo par, & superliminare auleis variegatis ornabatur floribus purpureis distinctis, & habentibus columnas intextas, sub quarum capitibus vitis expandebatur aurea, dependentibus botronibus, mirandum sane opus tam manus artificis, quam materia pretium. De aurea vite in Judæorum templo, quam inde abstulit Pompejus, agunt Plinius l. 37. c. 2. Florus l. 3. c. 5. Tacitus 5. Historiæ. Lipsius 2. elect. c. 5. Loricinus in Pl. 79. Villalpandus to. 2. in Ezech. p. 2. l. 5. c. 71. Pretii dicitur fuisse quingentorum talentorum. Huic viti similis illa, quæ lecto Persarum Regis superstabat. Tota aurea erat, gemmis ornata, & una ex pretiosissimis lapillis. Athenæus l. 7. & 12. Platanos aureas, & auream vitem habentem uvas è smaragdo, ornatam Indicis carbunculis, & aliis omne genus lapillis magnificentia superantibus. Cujus etiam mentionem faciunt Xenophon l. 7. Herodotus l. 7. Plinius l. 33. c. 10. Plutarchus 2. de Fortuna Alexand. Chrysostomus orat. 58. Brissonius 2. de Regno Persarum pag. 69. His adde ex Alex. ab Alex. l. 4. c. 9. vites extare in citeriori Germania intra Danubium, quæ claviculos, & plerumque candicantia folia ex puro auro germinent, & simul coalescant.

Aurea alia vitis. Athenæ.

Alexan. ab Alexandro.

Aurum vitæ ingentium & condensatum.

Sensus variorum Siracidei.

2031 His positis, statuo, eo versicolorum denario sermonem esse, aureo connexionis filio pulchrè deducto, de Christianæ Ecclesiæ fecunditate & dilatatione post diffusam Christi ac Deiparæ famam per Evangelii promulgatores. Atqui, si terebinthi arboris naturam consideres, proceritatem, & amplitudinem, ac pretiosissimam ex illa desluentem refinam, quid ad Orthodoxæ fidei Christianæque religionis dilatationem luculentius? Christus ipse terebinthus est, qui eatenus suos extendere ramos

ramos dicitur, quatenus numero sam fidelium sobolem sibi & Ecclesiæ suæ acquirat, destructâ idololatriâ. Illi verò, dum Christo adhærent, rami ejus sunt, rami honoris & gratiæ, gloriæ & majestatis, splendoris, dignitatis, celestisque opinionis. Etenim, cum primus ad Ecclesiam gressus & ingressus sit idololatriæ abnegatio, in hujus rei argumentum meminit in primis Siracides nosfer terebinthi arboris cum certo quodam intuitu ad terebinthum illam, sub qua Jacob idola confregit, comminuit, defodit, & obruit Gen. 35. de quo infra. Rursus, vitis adeò facunda, odorata, florida, fructifera, quæ tam latè, tamque longè suos protendit palmites, portendit planè gloriosam ejusdem Ecclesiæ dilatationem, fecunditatem, ac numerositatem filiorum, post abjectam penitus idololatriam. In cujus rei confirmationem sat est Christi testimonium apud Joan. 15. ubi seipsum vitem appellat, & fideles suos palmites. Græcè est cum gemino articulo: Ego sum illa vitis, illa vera. Utrique illa, illa ipsissima, de qua nosfer Siracides: Ego quasi vitis fructificavi &c. Est enim id à Christo pronuntiatum cum respectu ad Ecclesiasticum verba, ut certè observat nosfer Tolerus. Tu illum vide, & Patres, quos citat. Quod verò de Christo dicimus primario sensu, de Virgine ejus Matre secundario dicendum quoque est: ad utrumque enim spectat Ecclesiæ fecunditas, dilatatio, & numerosa filiorum soboles: ab utroque habent fideles ut germina sint odoratissima, flores, & fructus honoris, honestatis, opulentiae, & divitiarum. Quæ omnia jam illustro.

TEXTUS ILLUSTRATIO

De Christo Domino.

SECTIO LIII.

Christus Jesus, pessundatâ Idololatriâ & sepultâ cum honore Synagogâ, Ecclesiæ suæ regnum latissime amplificavit.

2032 Præmittere oportet, ut huic instituto lux affulgeat, rem notatu dignissimam: videlicet, gentes olim idololatriæ addictas in lucis & inter condensas arbores excitasse altaria, & suas ibi victimas immolasse. Inter arbores altas, & umbriferas, quas elegit Dæmon ad lucos hocce, celebrioris exitere quercus, ulmus, terebinthus, quæ eadem voce Hebræa elab, sive allab solent significari, & transferri sæpè à LXX. Vulgato, & aliis. Constat hoc ex innumeris sacræ Scripturæ testimoniis. Unum vel alterum observa. Osee 4. Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiamam: subius quercum & populum, & terebinthum, quia bona erat umbra ejus. Et Ezechi. 6. 13. Et scietis, quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso, & in cunctis summitatibus montium, & subius omne lignum nemorosum, & subius universam quercum frondosam. Hebraicè sonat etiam terebinthum frondosam.

De lucis, ubi Gentiles Idolis immolabant.

אלה אלה

Osee 4.

Ezechi. 6. 13.

Hi luci idololatriæ antiquiores, & olim vero deo dicantur.

per inhiantis, detorti sunt. Etenim Paradisus voluptatis à Deo plantatus, ad instar luci amoenissimi fuit vero Numini sacrati. Duas sibi in eo luco peculiare arbores consecravit, alteram vitæ, alteram scientiæ boni & mali: illam comedendam Adamo concessit, hanc sibi reservavit, ut ex ea primus homo fructus suo creatori in obedientiæ & religionis signum offerret. Expende, obsecro, verba Gen. c. 2. Tullit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradisum voluptatis, ut operaretur & custodiret illum. Videatur non Paradisus homini, sed Paradiso homo formatus. Cæterum preme illud: ut operaretur, & custodiret illum. Ubi vox originalis propriè significat, servire alicui cultu & religione. Quod Latine colere dicimus, honorare cultu patriæ, id est, cultu servitutis. 1. Reg. 26. Vade, servi Diis alienis. Hebr. Vade, operare, vel cole Deos. & 4. Reg. 21. adoravit omnem militiam cali, & coluit eam. Hebr. & operatus est eam. In hoc sensu dicitur Adamus in Paradisum introductus, ut operaretur illum, ut coleret eum, ut Deum unum cultu & veneratione prosequeretur assidue in eo loco, quasi in luco, templo, seu sano sacratissimo, obedientiæ, & religionis ei offerens sacrificium, dum abstineret, ex divino præcepto, à fructu prohibita arboris; quam cum inobedienciâ suâ profanasset Adamus, ejectus de Paradiso est: nec deinceps voluit Deus in ea arbore cultum sibi exhiberi.

Paradisi lucus, ut in eo Adamus Deum coleret.

Gen. 2.

1. Reg. 26.

Gen. 21. 33. Lucus ab Abrahamo excitatus.

Crux Christi.

Decursu autem temporis Abrahamus, qua erat in Deum pietate conspicuus, prioris luci memoriam excitavit, & in ea Crucis & crucifigendi Jesu cultum. Gen. 21. 33. Plantavit nemus in Bersabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei æterni. Chald. & orabat ad Dominum. Hebr. linguæ peritus effert: plantavit plantationem ibi crucifixi Jehovah. Et Gen. 12. 6. dicitur pertransisse Abrah. usque ad locum Sichem, & usque ad corvallem illustrem. LXX. legunt; usque ad quercum excelsum, & legi potest, usque ad terebinthum excelsum. Hic Abrah. invocasse scribitur nomen Domini. Vel, ut Chald. transfert: deprecatus est Dominum: seu, ut alii legunt; prædicavit aliis in eo loco Dominum: tanquam in luco, temploque divino cultui sacrato, in quo Crucis solumbolum respicebat, quercus scilicet, vel terebinthus. Quas arbores antiquissimi fideles Hebr. Deo dedicarunt: & ad quercum Mambre tanquam ad lucum sacratissimum ex omni Syr. conveniebant Dei veri Jehovah adorandi causâ. Hanc quercum delusa ethnicorum antiquitas, Jovis quercum vocaverunt, id est, Jehovah, retento vero nomine, sed cultu in idolum detorto. Hebr. autem idololatræ in luco inter frondosas arbores, quercus, populos, & terebinthos diis gentium sacrificabant.

2034 Igitur quid consilii capiat Deus, ut idololatria exterminetur, & pessundet omnino? Ipsemet humanâ naturâ indutus ad instar se esse ait luci amoenissimi omnigenis consiti arboribus, cedris, cupressis, palmis, rosetis, olivis, platanis. Signatim verò, nec sine mysterio, se ipsum assimilat terebintho latissime suos diffundenti ramos; ut ipsi tanquam arbori divinissimæ cultus exhibeatur divinus, exterminatâ & pessundatâ idololatriâ. Quò spectat arcanissime illud egregium Jacobi facinus Gen. 35. 4. Cum enim ille æquè pius ac prudens in Bethel. id est, in Domum Dei, vellet ascendere, & secum ferre omnem suâ familiam,

Christus se ipsum luco assimilat amoenissimo.

Terebintho

Gen. 35. 4.